



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1776

VD18 90118820

§. 47. Ordinum Bohemicorum Comitia Pragæ habita in caussa Religionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67222)

Sæc. XVII.
A. C. 1609.

§. XLVII.

Ordinum Bohemicorum comitia Pragæ habita in causa Religionis.

Interim Protestantes in comitiis, quæ vigesima octava Januarii die a Bohemix Ordinibus Pragæ fuerunt inchoata, sectæ suæ in universo Regno profitendæ libertatem ab Imperatore sibi concedi omnibus modis postulabant, asserentes, sibi a Maximiliano Cæsare anno Christi millesimo quingentesimo septuagesimo quinto datam fuisse fidem, quod non permittere velit, ut alicui in Bohemix Regno vis aliqua ob Religionis & conscientix causam inferretur. Ast Rudolphus, qui nec Patris sui sponsione per vim extorta, nec periculosa ejusdem indulgentia ad prodendam Dei & Ecclesiæ causam se adstringi censebat, ocluso scripto eis hunc in modum respondit: „nihil vobis in Religionis negotio salva conscientia indulgere, ac „permittere valeo, spero igitur, vos veteribus pactis longo usu ac tempore receptis acquieturos: Sacerdotes tamen, „qui vobis cœnam sub utraque specie tribuant, a Pragensi Archiepiscopo constitui indulgeo, liceat quoque vobis „mortuos vestros ad campanæ pulsus sepelire, Piccardiautem, quorum secta „in

Mers. Gallo-belg. annal. tom. 6. l. 3. Contin. Chytræ p. 159. Calmet. hist. univers. l. 150. Caraf. Com. de Germ. pag. 41.

Sæc. XVII. „in Bohemiæ Regno nunquam tolerata
 A. C. 1609. „fuit, ab occultis suis conventiculis ab-
 „stineant, & se vel Catholicis vel Pro-
 „testantibus jungant. „ Accepto hoc
 responso Ordines libellum supplicem
 Cæsari offerunt, quo confessionem suam
 in Verbo Dei, ut agebant, fundatam
 pro hæretica aut nova minime habendam
 esse asserunt, simul addentes, quod vetera
 pacta partim abolita sint, partim Ordines
 non ita obstringere valeant, ut fidem suam
 ad alterius nutum componant, cum autem
 priori anno Ordinibus fuerit responsum, de
 aliis capitibus non esse agendum; nisi com-
 posito prius Religionis negotio, hinc age-
 bant Cæsarem nec iuramentum a se præ-
 stitum, nec conscientiam suam læsurum,
 si Religionis libertatem eis permitteret,
 & Consistorium atque Academiam res-
 titueret. His futuræ violentiæ minas
 haud obscure addentes declarabant, se
 repulsæ culpam non quidem Cæsari, quem
 fraudulentè *optimum* appellabant, sed illis,
 qui fallaciis ac machinationibus honestæ
 hujus petitionis confessionem impedirent,
 imputaturos.

§. XLVIII.

*Nova Protestantium molimina protorquenda
 sectæ suæ libertate.*

Post